

haec diplomata diligentiusque eadem considerans non omnes dictiones, nec dum litterarum ductum antiquiorum, primo conspectu, satis intelligo. Vicit tamen labor improbus, vicit in patriam pietas, vicit et in amicum fidei antiquae candor et integritas. Forte haec mihi objicias: non esse amici, alterius inuentu rara ac cara in loco exponere pro patulo; ubi est contra TIBI nostrumque communi amico rehero: non esse boni civis, nedum regionis cujusdam praefecti, publica diplomata in scriniis intra parietes priuatos asseruare, eademque vel indocto rabulae, vel rerum antiquarum et diplomaticarum incurioso haeredi post se relinquere. Vera fateor, in animo TVAE, omnibus historiae partibus perutili, (*) ANTIQVITATVM SYLLOGAE, oder ALTEN aus allen Theilen der Geschichte, sic dictae, fuisse destinata, quae, ex more TVO, quo es et soles, litteratissimo, annotationibus egregie doctis, tandem ornauisses: sed ornes quae-so! nec TIBI, Tuoque commodo, siquid erit, inuideo, nec prohibeo. Dicam, quod res est: Slauica sunt, quae gratiam nouitatis exuere; non leguntur: Bohemica stili perantiqui ac peruetusti; nostris hominibus, vt vulgo fert prouerbium, *pagi bohemi*, cum pronunciatu difficiles, tum lectu et intellectu difficiliores immo difficillimi: hinc verebar, ne librariorum et eorum, qui mendas corrigunt, incuria litterarum textus et rei ipsiusmet contextus obscuritate quadam obuolueretur. Prior de rebus et originibus schoenburgicis Viro Magnifico, GRVNDIGIO nostro, dicata, dissertatiuncula, quum aliis corrigendam mandauissem, in hac posteriore magis attentum ad rem et circumspectum ad verba, immo vero ad omnes litterarum minutias cautiorem me sane reddidit, si modo TVerrori album calculum adjeceris.

Publici ergo juris fiant fide dignae, cum scriptis authenticis collatae, ex slauico-bohemo linguae idiomate ad litteram et verbum in-fermonem patrium à me translatae, ad modum vero aliorum
rei

*) Chemnicii in 8. impens. et typis Stoefel. fascic. 1. 1760.